



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Capitularia Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae  
doctissimorum virorum

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1677**

XXXI. In basilica S. Castoris ad Confluentes.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-22974**

## TITVLVS XXXI.

In Basilica sancti Castoris apud Confluentes.

ADVNNTIATIO  
DOMNI KAROLI.

**V**os scitis quomodo aliquanti homines, minus quam necesse fuerat Deum timentes, nostrum fratrem Hludouicum quasi sub bona intentione hoc anno sollicitauerunt ut in regnum nostrum taliter veniret sicut ipsi scitis, unde nos Deus & vestra fidelitas sic adiuuavit sicut & bene cognoscitis. Post hoc laboravit, adiuuante Domino, iste carissimus nepos noster ut inter nos pax fieret, sicut per rectum esse debet, & ut monentibus Episcopis ad illam caritatem & fraternam concordiam rediret sine qua nullus Christianus saluus esse non potest. Propterea transiit ad nos suos Missos, & mandauit nobis primum tale missaticum quod nobis impossibile visum fuit. Deinde quia illud missaticum non suscepimus, aliud missaticum nobis sui Missi dixerunt, quod quia & secundum Deum salubre & secundum seculum utile nobis videtur, volumus vobis illud dicere, & si vobis ita sicut & nobis videtur, cum vestro consilio volumus illud recipere, & quod Deus concesserit, ad necessarium effectum perducere.

*Hæc sunt nomina Episcoporum qui anno incarnationis dominicæ DCCCCLX. Non. Iunius in Secretario Basilicae sancti Castoris considerauerunt cum nobilibus ac fidelibus laicis firmitatem quam gloriosi Reges nostri Hludouicus & Karolus atque Hlotharius inter se fecerunt VII. Idus Iunias in eodem monasterio, & qui hæc capitula ab omnibus conservanda acceptauerunt.*

Hincmarus, Guntharius, Altfrius, Salomon, Adventius, Hatto, Franco, Teudericus, Leutbertus, Gebhardus,

Christianus, Vulfadus Abba, Vvitgarius Abba.

*Hæc nomina laicorum.*

Chuonradus, Eurardus, Adalardus, Arnulfus, Vvarnarius, Liutfridus, Hruodulfus, Erkingarius, Gislebertus, Ratbodus, Arnulfus, Hugo, item Chuonradus, Liutharius, Beringarius, Matfridus, Boso, Sigeri, Hartmannus, Liuthardus, Richuinus, Vvigricus, Hunfridus, Bernoldus, Hatto, Adalbertus, Burchardus, Christianus, Leutulfus, Hefsi, Herimannus, item Hruodulfus, Sigehardus.

SACRAMENTVM FIRMITATIS  
HLVDOVICI REGIS.

Amodo & quandiu vixero, istum fratrem meum Karolum, & nepotes meos Hludouicum, Hlotharium, atque Karolum, ad Dei voluntatem & sanctæ ejus Ecclesiæ statum & honorem atque defensionem, & ad nostram communem salutem & honorem, & ad populi Christiani nobis commissi saluamentum & pacem, & ad legis ac iustitiæ atque rectæ rationis conservationem, quantum mihi Deus scire & posse donaverit, & ipsi me obaudierint, & à me ipsi quaesierint, vero consilio, & secundum quod mihi rationabiliter & salubriter possibile fuerit, sincero auxilio adjutor ero ad regnum illorum continendum, & nec in vita, nec in membris, neque in regno illorum eos forconsiliabo. In hoc ut ipsi erga me similem promissionem faciant & conseruent. Si me Deus adiuuet & istæ sanctæ reliquiæ.

## CAPITVLA AB OMNIBVS CONSERVANDA.

## CAP. I.

**V**T omnium præteritorum malorum & contrarietatum & supplantatio-

num ac malarum machinationum atque molitionum seu nocumentorum invicem actorum abolitio ita inter nos & apud nos fiat & à nostris cordibus penitus avellatur

cum omni malitia & rancore ut nec in memoriam ad retribuendum duntaxat mali vel contrarietatis atque exprobrationis seu improperij de cetero exinde quiddam veniat.

## I I.

Vt tanta inter nos Domino cooperante vere caritatis benignitas abhinc in ante semper maneat de corde puro & conscientia bona & fide non ficta, sine dolo & simulatione, ut nemo suo pari suum regnum aut suos fideles vel quod ad salutem sive prosperitatem ac honorem regum pertinet discipiat aut forconsiliet, aut per occultos futrones libenter composita mendacia seu detractiones acceptet.

## I I I.

Vt unusquisque fideliter suum parem, ubicunque necessitas illi fuerit, & ipse potuerit, aut per se aut per filium aut per fideles suos & consilio & auxilio adjuvet ut regnum, fideles, prosperitatem, atque honorem regum debite valeat obtinere. Et veraciter unusquisque erga alterum certatim demonstret quia in paris sui adversitate, si evenit, fraterno modo contristet, & in prosperitate illius letetur. Et talem fidem sicut inter nos modo abhinc in ante conservatos confirmatum habemus, sic unusquisque infantibus fratris sui, si obierit, ille qui superfuit conservabit.

## I V.

Et quia per vagos & tyrannica consuetudine inreverentes homines pax & tranquillitas regni perturbari solet, volumus ut ad quemcunque nostrum talis venerit ut de his que egit rationem & justitiam subterfugere possit, nemo ex nobis illum ad aliud recipiat vel retineat nisi ut ad rectam rationem & debitam emendationem perducatur. Et si rationem rectam subterfugerit, omnes in commune, in cuius regnum venerit, illum persequamur, donec ad rationem perducatur, aut de regno delectatur.

## V.

Similiter & de eo agendum est qui pro aliquo capitali & publico crimine a quolibet Episcopo corripitur vel excommunicatur, aut de excommunicatione crimen faciens, regnum & Regis regimen mutat, ne debitam penitentiam suscipiat aut susceptam legitime peragat. Interdum etiam incestam propinquam suam, aut sanctimonialem, vel raptam, sive adulteram, quam illic ei non licebat habere, fugiens

secum ducit. Hic talis, cum Episcopus ad cuius curam pertinebit nobis notum fecerit, diligenter perquiratur, ne morandi vel latendi locum in regno alicujus nostrum inveniat, & Dei ac nostros fideles suo morbo inficiat, sed a nobis vel ministris reipublice constringatur, & ut simul cum diabolica preda, quam secum duxit, ad Episcopum suum redeat, & de quocunque crimine publico debitam penitentiam suscipiat, aut susceptam legitime peragat, compellatur.

## V I.

Vt nemo Episcoporum hominem peccantem ab Ecclesia & Christiana communione alienet, donec illum secundum evangelicum preceptum, ut ad emendationem & penitentiam redeat, commonitum habeat. Qui peccans si commonitus inobediens & incorrigibilis permanserit, & ad emendationem redire noluerit, regiam vel reipublice potestatem per se Episcopus vel per ministros suos adeat, ut constringatur, & ad emendationem ac penitentiam peccator redeat. Qui etiam si ita ad correctionem perducere nequiverit, tunc secundum leges ecclesiasticas medicinali separatione a communione ecclesiastica segregetur.

## V I I.

Vt illis hominibus qui in talibus perturbationibus, sicut in his prateritis annis acciderunt, in Deum & in sanctam Ecclesiam atque in nos peccaverunt, si se ex veritate recognoscere petierint, & deinceps nobis veraciter fideles esse voluerint, & in regnis nostris pacifici ac quieti & legibus ac justitie obediens extiterint, rationabilis misericordia impendatur, non solum in indulgentia commissorum, & in concessione proprietatum, verum etiam & in largitione honorum secundum nostram rationabilem possibilitatem.

## V I I I.

Vt de rapinis ac deprædationibus & de conspirationibus atque seditionibus, & de raptis feminarum, sicut ecclesiasticæ & Christianæ leges atque progenitorum nostrorum Capitula continent, ita in omnibus & ab omnibus conserventur.

## I X.

Vt alia etiam Capitula eorundem progenitorum nostrorum de sanctæ Ecclesiæ honore & immunitate ac conservatione, & de regio etiam honore atque vigore, & populi nobis commisi lege ac justitia, in omnibus & ab omnibus conserventur.

## X.

Vt nostri fideles, unusquisque in suo ordine & statu, veraciter sint de nobis securi quia nullum abhinc inantea contra legem & iustitiam vel auctoritatem ac iustam rationem aut damnabimus aut dehonorabimus aut opprimemus vel indebitis machinationibus adfigemus, & illorum scilicet veraciter nobis fidelium communi consilio, secundum Dei voluntatem & commune salvamentum, ad restitutionem sanctæ Ecclesiæ & statum regni & ad honorem regum atque pacem populi commisi nobis pertinenti adfensum præbebimus; in hoc ut illi non solum non sint nobis contradicentes & resistentes ad ista exequenda, verum etiam sic sint nobis fideles & obedientes ac veri adjuutores atque cooperatores vero consilio & sincero auxilio ad ista peragenda quæ præmissimus, sicut per rectum unusquisque in suo ordine & statu suo Principi & suo seniori esse debet.

## XI.

Vt sic simul conjuncti & nos fratres ac nepos noster ad invicem, & nos cum fidelibus nostris, & fideles nostri nobiscum, & omnes simul cum Deo nos reconjungamus, & ut nobis sit propitius illi pro devoto munere offeramus. & unusquisque omnium nostrum absque sua propria executione vel justificatione recognoscamus in quibus aut singillatim aut communiter contra illius mandata & decreta suorum sanctorum fecimus aut consensimus in or-

dine ecclesiastico & statu regni, & per singula in medium illa producimus. & nemo nostrum suo aut amico aut propinquo vel confederato immo nec sibi ipsi seculariter parcat ut spiritaliter & salubriter parcere possit, quin, sicut præmissimus in præcedenti capitulo, vero consilio & sincero auxilio illa in commune certatim emendari totis viribus procuremus, quantocius rationabiliter poterimus.

## XII.

Et si aliquis de subditis, in quocunque ordine & statu, de hac convenientia exierit aut se retraxerit, vel huic communi decreto contradixerit, seniores cum veraciter fidelibus suis hæc secundum Dei voluntatem & legem ac iustam rationem, velit nolit ille qui divino consilio & decreto & huic convenientiæ resistens & contradicens fuerit, exequantur. Et si aliquis de senioribus de hac convenientia exierit aut se retraxerit, vel huic communi decreto, quod absit, contradixerit, cum plures seniorum nostrorum fideles & regnorum primores in unum convenerint, eorum qui observaverint consilio, & Episcoporum iudicio, ac communi consensu, qualiter de eo qui debite admonitus incorrigibilis perseveraverit agendum sit, faciente Domino decernatur. Et ut obnoxius suprascripta capitula a nobis auxiliante Domino inviolabiliter observentur, & nos illa observaturos certius credatur, manibus propriis subterfirmavimus.

ADVNVIATIO DOMNI HLVDVVICI REGIS APVD  
CONFLVENTES LINGVA THEODISCA.

## CAP. I.

**V**os scitis quid in isto regno evenit. Et ideo huc convenimus, ut de Dei voluntate & sanctæ Ecclesiæ statu, & de nostra ac vestra communi salute atque honore, & de pace populi Christiani, cum Dei adiutorio & fidelium nostrorum consilio tractaremus.

## II.

Et misimus hoc super Episcopos & ceteros fideles nostros, ut illi hoc invenirent, qualiter nos ad hæc quæ diximus exequenda adunaremus. Et volumus ut sciatis quia sicut illi invenerunt & scripto nobis ostenderunt, ad invicem adunati sumus, sicut fratres per rectum esse debent, & nos simul cum isto nepote nostro, & ille no-

biscum. Et etiam suos fratres nepotes nostros in hac adunationis firmitate nobiscum recepimus, ita tamen si & ipsi hanc firmitatem erga nos fecerint & observaverint.

## III.

Et sciatis quia non volumus ut ullus inter nos abhinc in antea alia verba portet nisi talia quæ Deo sint placita & quæ ad nostram communem salutem & nostrum honorem pertineant; ut sic simus sicut fratres in invicem, & patruus cum nepotibus, & nepotes cum patruis esse debent. Et si aliquis fuerit qui hoc facere tentaverit, producatur in medium ad rationem, & taliter inde castigetur ut nemo alius similia agere tentet.

## I V.

Et volumus ut Ecclesie & casa Dei & Episcopi & Dei homines, Clerici & monachi, & nonne, talem mundeburdem & honorem habeant sicut tempore antecessorum nostrorum habuerunt.

## V.

Et volumus ut vos & ceteri homines fideles nostri talem legem & rectitudinem & tale salvamentum in regnis nostris habeatis sicut antecessores vestri tempore antecessorum nostrorum habuerunt, & nos talem honorem & rectam potestatem in nostro regio nomine apud vos habeamus sicut nostri antecessores apud vestros antecessores habuerunt. & iustitia & lex omnibus conservetur, & pauperes homines talem defensionem habeant sicut tempore antecessorum nostrorum lex & consuetudo fuit, & sicut hic fideles nostri communiter consenserunt, & scripto nobis demonstraverunt, & nos cum illorum consilio consentimus & observari communiter volumus. Et si aliquis hoc perturbare voluerit, a nullo nostrum recipiatur, nisi ut aut ad rectam rationem aut ad rationabilem indulgentie concessionem deducatur.

## V I.

Sed & de istis rapinis & deprædationibus, quas jam quasi pro lege multi per consuetudinem tenent, ab hoc die & deinceps de Dei banno & de nostro verbo bannimus ut nemo hoc amplius præsumat. Sed unusquisque infra patriam cum pace & sine oppressione pauperum & circummanentium consistat, & in hostem vel ad placitum sive ad curtem veniens, de suo sic vvarnitus & de domo sua moveat ut cum pace venire & nobiscum stare & ad domum suam redire possit. Et qui hoc transgressus fuerit, sicut tempore antecessorum nostrorum consuetudo fuit, & in illorum capitulis continetur, volumus ut hoc in illis transgressoribus emendetur.

## V II.

Similiter & de conspirationibus, & de

raptis feminarum tam viduarum quam & puellarum atque nonnarum, bannimus ex Dei & nostro verbo ut nullus hoc in regnis nostris agere præsumat. Et si quis hoc præsumpsit, secundum legem, & sicut in Capitularibus progenitorum nostrorum continetur, sic hoc emendare cogatur.

*Hæc eadem Dominus Karolus Romana lingua adnuntiavit, & ex maxima parte lingua Theodisca recapitulavit.*

*Post hæc, Dominus Hludovicus ad Dominum Karolum fratrem suam lingua Romana dixit: Nunc, si vobis placet, vestrum verbum habere volo de illis hominibus qui ad meam fidem venerunt.*

*Et Dominus Karolus exceliori voce lingua Romana dixit: Illis hominibus qui contra me sic fecerunt sicut scitis, & ad meum fratrem venerunt, propter Deum & propter illius amorem, & pro illius gratia, totum perdono quod contra me misecerunt, & illorum alodes de hereditate & de conquiritu, & quod de donatione nostri senioris habuerunt, excepto illo quod de mea donatione venit, illis concedo, si mihi firmitatem fecerint quod in regno meo pacifici sint, & sic ibi vivant sicut Christiani in Christiano regno vivere debent. In hoc si frater meus meis fidelibus, qui contra illum nihil misecerunt, & me quando mihi opus fuit adjuvaverunt, similiter illorum alodes, quos in regno illius habent, concesserit. Sed & de illis alodibus quos de mea donatione habuerunt, & etiam de honoribus, sicut cum illo melius considerabo, illis qui ad me se retornabant voluntarie faciam.*

*Et Dominus Hlotharius lingua Theodisca in supra adnuntiatis capitulis se consentire dixit, & se observaturum illa promisit.*

*Et tunc Dominus Karolus iterum lingua Romana de pace commonuit, & ut cum Dei gratia sani & salvi irent, & ut eos sanos reviderent oravit, & adnuntiationibus finem imposuit.*

